Oratio de BELLORUM MALIS,

habita

DIE GREGORII,

QUI ARTIUM STUDIO ab antiquo hîc ſacer:

à

Zacharia Schæfero, Poët. &
Hiſtoriarum Profeſſore
Tubingæ.

TUBINGÆ,

Typis Theodorici Vverlini, Typiſuſ.

ANNO M. DC. XV.

28

PAR
FRATRUM
LECTISS.[mo]
ORNATISS.[moq;]

IOH. ADAMO
ET
DAVIDI
Vrkauffiis,
Legum & Philoſophiæ hic
ſtudioſis,
AMICIS MEIS
chariſſimis
ORATIONEM
hanc de
MALIS BELLICIS
Inſcribo, Offeroq́;
Autor.

ationem

DE BELLORUM MALIS,

CLARISSIMI VIRI,

ZACHARIÆ SCHÆFERI, PROFESSORIS

In Academia Tubingenſi, amici jucundiſſimi & candidiſs.

Epigramma

THOMÆ LANSII.

QVeîs Mars bellorum devaſtet cladibus orbem,
Dixiſti: & meliùs dicere nemo poteſt.
Dic, quæſo, & Cyclops queîs funeret artibus Ar-
Hocq; ipſum meliùs dicere nemo poteſt. (tes:
Et ſi, quàm dicis benè, curet curia: *multi*
Schæferi, *at nullus Marsve Cyclopsve forent.*

MAGNI-

MAGNIFICE DN. RECTOR:
DIGNISS.me DN. CANCELLARIE:
PATRES ACADEM. LAUDATISS.mi:
CONCIO ORNATISSIMA:

SI ea hodie eſſent tempora, quibus vel certã & ſtabilem in futurum pacem, aut, ſi id ſupra vota, ſupra meritum eſt, vel mediocrem ſaltem nobis polliceri poſſemus, facilè quoq; mihi perſuaderi paſſus fuiſſem, ne ſolennem hodie, & GREGORIO, hoc eſt, bonis literis feſtum ſacrumque diem, Oratione de Bello temerarem, profanaremque. Quid enim Muſis cum Marte? Quid literis cum bello? Nunc verò cum uterque & Occidens & Oriens, & qui inter hos medii, Auſter Aquiloque, in ſuam noſtramque perniciem conjuraſſe videantur: Quî potui facere aliter, quàm ut tempori & ſcenæ inſervirem, & de bello aliquid in medium proponerem, ipſumque Gregorium imitarer, qui infeſta Longobardorum arma, non ſemel, nec leviter expertus, in hac furia deſcribenda exaggerandaque, totas ſæpe paginas impendit & conſumpſit. Nempe non jucundi, & ſereni ſemper eunt dies, turbatur etiam, & pluit, & atrox cœlo fulminat tempeſtas. Nolite autem exiſtimare, omnia nos ea, quæ de bello dici & poterant, & debebant, hîc in tàm breve unius horæ ſpatium arctare & concludere decreviſſe: ut, quis auctor belli; Belus, an alius? quæ genera bellorum; quæ cauſæ; jus, an injuria?

neceſſitas, an ambitio? qui modi gerendi; qui fines, &c. Minimè, minimè. Mala ſolùm & damna, quæ in bello, & ex bello conſequi ſolent graviſſima, bréviter delineare, & antè oculos noſtros adducere volui, ut perſpecta eorum immanitate, totis animis exhorreſcere & deteſtari bellum diſceremus: tum oſtendere quoque; quî id depellere, ſi urgeat, à cervicibus noſtris maturè poſſemus. Quorum utrumque eò cognoſcendum diligentius nobis eſſe exiſtimo, quò ob longam & inveteratam pacem, pleriſque hîc noſtrûm bellua tam immanis nota eſt minus, & illa interim publicæ tranquillitati, & quieti noſtræ inſidiatur acrius, vigilantius.

Iſtud verò dum facio, univerſos & ſingulos vos hîc demiſsè veneror rogoque, ut breviter dicturo mihi, aures animosq; adhibere benignos velitis.

Vetus querela eſt, Aud. nullum tam atrox excogitari facinus poſſe, quod homo in hominem non auſit, non deſignet, & mitius feras inter ſe agere, quàm mutuò ſæpè homines ſoleant. Plinius ea de re non minus graviter, quàm verè: nulli, inquit, vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pavor confuſior, nulli rabies acrior, quàm homini. Cætera animantia in ſuo genere probè degunt, congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia, leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpentes, ne maris quidem belluæ, ac piſces, niſi in diverſa genera ſæviunt; at homini plurima ex homine ſunt mala. Hæc Plinius. Audite, quid ante eum Seneca: Feras, ait, nunquam ad nocendum, niſi neceſſitas miſit; aut fame, aut timore cogũtur ad pugnam: homini perdere hominem libet.

Quæ quidem improbitas, & plus quàm ferina audacia, etſi aliâs quoque magno rerum humanarum damno paſſim graſſatur, & conſpicitur: in bello tamen illa eminet maximè. Bellum omnes crudelitatis, omnes ſævitiæ modos in ſe complectitur; bellum omnium malorum compendium, &

velut

velut officina eſt; in bello, univerſæ eæ ſcelerum apparent ſpecies, quæ alibi reperiuntur tantùm ſingulæ; Bellum, bellum illa Poëtarum Pandora eſt, quæ è pixide ſua omnis generis calamitates in homines effundit, orbemque terræ toties hactenus ſanguine humano inundavit; cædibus, direptionibus evaſtavit, & tantum non ex imò ſubvertit ac disjecit. Horret animus, mei Aud. cum exempla, ſivè antiqua, ſivè recentia mecum cogito. Lingua ipſa profari tàm triſtia, tam horrenda, tàm ab omni humanitate aliena formidat, trepidatque. Sed eundum vel invito eſt, poſtquam ſemel in hoc calle pedem poſuimus.

Dixi, nullam à bellis abeſſe ſpeciem crudelitatis, feritatisque. Id quò clarius fiat & manifeſtius, agite per partes videamus. Et primò quidem; quas Vaſtitates terris bella ſecum afferant ſemper, quis ignorat? pulcherrimæ regiones, & terrarum velut paradiſi, in quibus feſtos dies populi pace florentes antea agitabant, bellorum tempeſtatibus afflictæ, in eam mox vertuntur faciem, ſolitudinemque, ut quæ antea non hominum, ſed Deorum viſa fuerant domicilia, nunc pro vix hominum, ſed ferarum latibulis & ſtationibus habeantur & agnoſcantur meritò. Agri fertiliſſimi, prædia ditiſſima, vineæ cultiſſimæ, rura bonis omnibus inſtructiſſima fœdè rapiuntur, inflammantur, vaſtantur. Oppida, urbes, quibus hominum ſe, poſt Deum immortalem, ſalus ſecuritasque una credere poterat, ſubruuntur, deijciuntur, ſolo æquantur: interfectis, aut ejectis, & in alium orbem compulſis infelicibus incolis: Summa, quicquid vel hominum frequentia nobilitavit, aut naturæ ingenijvè ſolertia inter mortales extulit, aut temporum longinquitas venerandum fecit, & inviolabile, id bella deprimunt & evaſtant. Exempla everſarum bello urbium, oppidorumque, quis in tàm lata copia facilè enumeret omnia? pauca dabimus, ſed inſignia, ſed illuſtria maximè. Illa non Judææ ſolùm

I. *Vaſtitas.*

lùm,ſed totius Orientis clariſſima,vel Plinio teſte,Jeroſolyma, ubi hodie eſt? ubi ei vicina Tyrus, cuius divitiæ & potentia tot ſacris profaniſque celebrata ſunt elogijs? ubi terror ille Orientis Babylon, illa tot tantarumq; gentium domitrix Babylon? ubi ſpacioſiſſima Ninus? ubi illa Græciæ lumina Athenæ? Sparta? Corinthus? ubi Carthago æmula quondam Romani Imperii? ubi ipſa deniq; illa vetus Roma?

Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cujus nec ſpacium viſus, nec corda decorem
Nec laudem vox ulla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris, &c.

Ut altè & animosè de ea, nec minus verè Poëta Claudianus. Nempe omnes illę aut funditus bellis jam interierũt, & velut exſanguia cadavera inter rudera hodie nullo cultu, nullo decore jacent, aut ſi quid ſunt tamen, vile id eſt, & priſcæ gloriæ vix umbra. Quid regiones, & terras integras commemorem, incendiis, direptionibus, cædibus incolarum, fœdè deformatas, deſolataſque? Ipſa iterum Judæa, quid ultimo illo & fatali bello non eſt paſſa? quæ damna, quas clades nobilis provincia non pertulit? quid reliquus Oriens, tot bellis Aſſyrijs, Ægyptijs, Babylonicis, Perſicis, Parthicis, Græcis, & tandem bellis furialibus Mahometis? Quid Italia, decus illud Europæ, tot funeſtis & internecinis bellis Punicis, bellis ſervilibus, bellis inteſtinis, Marij & Syllæ, Cæſaris & Pompeij, Antonij & Auguſti, bellis denique Gothicis, Vandalicis, Longobardicis, Hunnicis, & quæ omni bello atrocius ſævijt, factione Gibellina, Guelphicaque? Hannibal (qui unus facile reliqua vos gentium funera, vaſtitateſque edoceat) Hannibal dico, bello Punico ſecundo Romanorum urbes quadringentas (Lentulus apud Appianum ita numerat) cepit & evertit, hauſtaque & abſumpta ſunt annis non totis ſeptendecim, in ſolis Hiſpania, Sicilia, Italia ſupra quindecies centena hominum millia: O peſtem perni-

31

perniciemque generis humani bellum! Græcia, potens illa olim & toti Orienti formidabilis natio, quàm attonſa, quàmque exhauſta viris viribusque fuerit Plutarchi ævo, ſupra fidem ferè eſt; ait, univerſam illam vix conficiendis tribus militum millibus fuiſſe; quot tamen olim bello Perſico unum Megarenſium opidulum confecerat. Taceo noſtri ſeculi ſtrages, atque funera, quæ bella partim civilia, partim externa per Galliam, per Pannoniam, per Belgium, ut triſti & horrendo, ità nimis recenti & formidando nobis ediderunt exemplo. Imperij Byzantini hodiè, & adjunctæ illi Thraciæ, quæ olim pagis, urbibus, populis frequentiſſima, cultiſſimaque fuerat, miſerandam vaſtitatem quis non deploret? Callimachum, teſtem oculatum audite, qui Legatus Poloniæ regis, de itinere ſuo Conſtantinopolitano ad hunc modum diſſerit: maritima Thraciæ Mœſiæq; loca dum prætergredior, dum mediterranea inter eundum perluſtro, ecce nullus uſpiam locus munitus, nulla urbs, nullum opidum ſic ſitum, ut eius conditores, vel minimam belli olim futuri cogitationem videantur habuiſſe; ſed ubique ſquallor, & vaſtitas rerum, qualē diuturna & acerrima bella relinquere poſt ſe ſolent. Hominum omnis generis tanta raritas, ut ad nullum avidius ſpectaculum accurrant, quàm ad homines contuendos. Cùm enim paulò frequentiore comitatu ego prætergrederer, è tuguriolis ſuis omnis ætas, omnis ſexus viſendi ſtudio in vias ſeſe effundebat, in quo concurſu mirabar ego non ſolùm paucitatem gentis, ſed ſquallorem quoque & ſordes; cùm viderentur non ex familiari aliquo lare, ſed ex profunda caligine teterrimi carceris cum ferali habitu exeſos macie vultus, & præmortua membra vix ad conſpectum lucis proferre. Itaque feſtinabat animus viſere ipſam Conſtantinopolin, mihique imaginabar, vim tantam me illîc hominum inventurum, quanta in colendis tàm

longè lateque patentibus terris prius ſuffeciſſet. Hic jam non dicam, ubi ad locum perveni, exſpectatione me omninò fruſtratum, & eâdem, quâ toto itinere, illic quoque ſolitudine exceptum: fateor quidem hominum plus aliquantò, quam in via inveniſſe, ſed ubique per urbem eadem facies, quæ inter proficiſcendum fuerat; ſquallor veſtis apud omnes, tum ſitus & macies oris, & totius corporis inanitas; In veſtibulo ſolùm curiæ, quoad augendam multitudinis ſpeciem, artifices etiam ex officinis & ſtationibus ſuis coacti erant, luculentior paulò viſebatur veſtitus; verùm numerus gentis nequaquam aut famæ, aut opinioni reſpondens. Hæc Callimachus. En tibi exemplum vaſtitatis, non minus memorabile, quàm miſerabile, & quale à Turcica illa & Barbara gente expectari omninò debeat!

Addam è novo orbe exemplum non novum, & ſic membrum hoc vaſtitatis finiam. Notum eſt, quid ante annos centum & amplius ibi geſtum ſit; Pauculi Iberi, ſive Hiſpani in vaſtas illas, & novas terras delati, quæ funera, DEVS bone! ediderunt, quas ſtrages! Cerno ingens illud terrarum ſpacium, quod vidiſſe magnum ſit, non dicam viciſſe, à vicenis, tricenisque militibus pervadi, & paſſim nudos & inermes illos greges ſterni, ut ſegetem à falce. Ubi tu es Inſularum maxima Cuba? Ubi tu Hayti? vos Jucajæ? quæ olim ſexcentis ſingulæ, aut denis hominum millibus ſuccinctæ, alibi vix quindecim ex ijs retinuiſtis in ſemen? Oſtende etiam te paulùm tu Peruana, tu Mexicana ora? Heu miram miſeramque faciem! immenſus ille tractus, & verè alter orbis, vaſtus attritusque apparet, non aliter, quàm ſi cœleſti quodam igne deflagraſſet.

II. *Fames.* Vaſtitatem ſequitur fames, alterum ex bello malum, imò belli ſoror gemina germana: Nam dum agros hoſtis depopulatur, dum incendiis omnia deformat, ſege-

tes

32

tes exurit, recens enata è terris ſemina equorum diſcurſantium ungulis conculcat, dum armenta abigit, colonos aut fœdè trucidat & ejicit, aut opidis includit; quis extremam inde alimentorum non expectet, metuatvè inopiam? quis intolerabile cum ipſa quoque fame bellum mortalibus non paratum videat? qui in oculis, in vultu ipſam mortis imaginem impreſſam circumferant, & in vita nihil aliud vitæ, quàm famem ſentiant, paulatimque, ut deficiente adipe lychnus contabeſcant, & abſumantur. Miſerrimè moritur, qui fame moritur; fames omne aliud mortis genus, ſuave & expetendum mortalibus efficit; fames alios, ut reſtim ſumerent adegit; alios, ut cultro guttur inciderent; alios, ut in puteos, in flumina ſe præcipitarent; alios, ut alia quavis morte mortem tam acerbam, tam infeſtam evitarent. Ita ubiq; felicius morimur, quàm in fame. Et quid fœdius obſecro hoc malo? ubi foris ſubtracta alimenta ſunt; ibi venter initio latrare, indignari, variè ſe torquere & convolvi: cum diu expectatum fruſtra eſt, & moram fecit inopia; tunc in ſe ipſum verti, & quicquid humoris, ſuccique toto corpore invenit, id contrahere, lambere, & abſorbere avidè; ubi nihil ſibi fecit reliqui; tum demum miſero fauces inflammari, exaſperari, os amareſcere, dentes lippire, guttur nimio cibi, ſed inani deſiderio fœdè hiare, & velut excepturum alimenta eſſet, corvino rictu turpiter patere & diſtendi: lingua exareſcere: & immobilis jacere, ſucco deſtituta: vox tenuari, & in ipſis paulatim faucibus cadere & intermori. Quid alia dicam? rigere capillos, oculos hebeſcere, & in media ſolis luce, lucem quærere miſeros, motoque velut fulcro in cavum ſubſidere: rotari omnia, & in gyrum verti, caput vaporationibus amaris repletum dirâ excruciari inſomniâ; aures præter modum tinnire, & ad quemvis levem ſonitum protinus arrigi; cutem fieri aridam, & velut ambuſtum igne corium

contrahi & corrugari: Oſſa, talos & quicquid ſolidi, ubiq; prominere, protuberare; lumbos flacceſcere & curvari, pedes labare, manus tremere, pallorem denique & maciem extremam totum corpus obſidere, donec vivum hoc & ſpirans cadaver, longa triſtique confectū inedia penitus concidat, intereatque. Poſſitne, auditores, diro hoc & horribili famis cruciatu, quem bella nobis pariunt, aut relinquunt, quicquam dici, aut fingi atrocius? Dictum anteà eſt, quò fera hæc & implacabilis bellua rabie ſua homines plerunque incitet, nempe ut quidvis aliud pati, quàm famem malint. Fertur ingenioſa paupertas eſſe, & ad vitæ præſidia comparandum mirè induſtria. In fame id videre eſt. Nam ut vitam infelicem ſæpe proferant, famemque à ſe quàm longiſſimè arceant, quid non excogitant miſeri? dum alii pelles & lora, aquâ fervidâ emollita mandunt; alii canibus, muribus alii, & ſi quid his fœdius, immundiusve, inſidiantur, & oblata cupidè vorant; alii herbas radicumque omne genus ſtudiosè perquirunt, & ſiſtendæ fami ventri obijciunt. Nimis ſit longum, exemplis hæc firmare; plenæ antiquæ ſunt hiſtoriæ, plena noſtri ævi memoria. Unum tamen hoc ſupra alia, quæ hîc commodè percenſeri poterant, memorabile, ut omittam, facere neutiquam poſſum:

Birckheimerus in Hiſtoria Belli hujus.

Militabat Cæſari Maximiliano bello Helvetico Bilibaldus Birckheimerus, copiarum Noribergenſium præfectus. hic per villam magnam, ſed exuſtam, cum exercitu fortè tranſiens, in eius exitu duas vetulas deprehendit, quæ agmen quadraginta ferè puerorum, puellarumque haud ſecus ac pecorum greges ante ſe agebant. Erant, inquit ille, omnes extrema macie ob inediam confecti, & hoc uno differebant à mortuis, quod moverentur; ita ut aſpicienti mihi horrorem incuterent. Interrogavi vetulas, quónam turbam tàm miſerandam ducerent. Illę tanquam attonitæ, ac vix præ dolore ac fame ora aperire valentes, reſponderunt

33

runt, confeſtim me viſurum, quónam ageretur tàm infelix juventus. Vix hæc dixerant, cum ad pratum quoddam deventum eſt, in quod ingreſſi, ac in genua prolapſi, beſtiarum modo herbas depaſcere cœperunt, hoc uno diſtantes, quod illæ morſu, hi verò manibus cibum decerpentes, veſcebantur: & jam uſu herbas diſcernere noverant, quæ illarum amaræ, aut inſipidæ, quæ contra ſuaves, & guſtu præſtantiores. Præcipuè verò herbam eligebant acetoſam, quam & præ cæteris dignoſcebant. Ad tàm dirum ſpectaculum obſtupui, ac tanquam amens diu conſtiti. Rurſus igitur vetula inquit, en cernis nunc, cur calamitoſa hæc turba huc ſit deducta, cui longè profuiſſet, ſi nata foret nunquam, quàm tot ærumnis ſubiici, ac vitam exigere tàm miſeram. Ferro ceciderunt patres, fame matres abactæ, ne tam fœdam ſuorum mortem oculis aſpicere cogerentur, bona in prædam ceſſerunt, domus flammis abſumptæ ſunt. Nos miſeræ ob ultimam ſenectam hìc ſolæ relictæ, ut infeliciſſimam hanc juventutem pecudum more ad paſcua educeremus, eſuque herbarum ſuſtentaremus. Speramus tamen brevi, tàm nos, quàm illos, à tantis abſolutum iri miſeriis. Etenim quanquam duplo fuerunt plures, brevi tamen ad hunc redacti numerum ſunt, cum quotidiè aliqui ex his fame, & inedia pereant, feliciores profectò ob celerem mortem, quàm vitam prolixam.

Quis obſecro, mei auditores, quis ille ſic inter nos ferreus? ut ad tam diri & miſerandi caſus exemplum totus animo non cohorreſcat? cui lachrymas tam triſte & inſolens ſpectaculum non excutiat? Verum enimverò ſit miſerum, pelles & lora mandere; ſit miſerum, cum priſco & horrido ævo ad glandium eſum reverti: ſit miſerum, herbas & radices legere, & incoctas vorare: ſit denique miſerum, ſit obſcænum, muribus, felibus, aliiſque multò adhuc immundioribus rebus veſci: At tolerabilia

tamen hæc præ jis videri adhuc poſſunt, quæ fandi ſimul, infandiq; auctor idem, & magiſter fames docere inſuper mortales potuit. Ingens hominum inter ſe cognatio eſt, ingens propinquitas, quippe cum ab uno ſanguine, uno capite omnes deſcendant; maior quoque parentibus intercedit cum liberis, & unicuique ſecum ipſi. Hoc tamen, hoc ſacroſanctum vinculum ab ipſa natura inditum, feralis illa bellua, fames, perrumpit; & omni humanitatis jure neglecto, hominem in ſui ſimile graſſari cogit impotentiſſimè. Exempla in tāta hiſtoriarum luce, & copia, eccui ignota, obſecro, eſſe poſſunt? hominum in homines; parentum in liberos; liberorum in parentes, & poſtquam omnia alia externa defecerunt, in ſua ipſorummet tandem viſcera, artusq; crudeliſſimè ſævientium. Bello Gothico, quò vix ullum terris Italiæ evenit funeſtius, innumeri fame urgente, ſeſe invicem confecerunt. Duæ fæminæ (rarum & ſupra ſexum audax facinus) diverſis temporibus ſeptendecim noctu viros ad ipſas divertentes, in ſomno oppreſſerunt, abſumpſerunt: & cum decimum octavum addere illis vellent, ab ipſo fortè excitato præventæ, atque obtruncatæ fuerunt. In Livonia, quæ poſt bellum Suedicum, annis ſuperioribus fames exorta tragica ſit, nulli ignotum eſt: non à ſepulchris, non à fœtentium cadaverum immani eſu, extrema inedia homines abſtinuit. Patris & Filii iſtud inter ſe certamen, obſeſſis à Demetrio Poliorcete Athenis, quis non cum lachrimis legat, audiatve? cum ad delapſum è pavimento murem exanimem, uterque accurrerent, ferrum expedirent, ferro dimicarent, uter præda illa potiretur, veſceretur. Bello ſervili Italico, cum obſeſſum à Romanis Tauromenium fuiſſet, ſervi in eo defectores ad tam acrem famem compulſi fuerunt, ut conſumptis primò liberis, mox uxoribus quoq;, ne ſibi quidem invicem parcerent, ſed alii alios vorarēt. Nota, et, heu! nimis nota eſt, Hieroſolymitana illa obſidio ultima,

in

in quâ, præter alia belli mala, fames atrociſſimè quoque eſt graſſata. Æternis dignum lachrymis ſpectaculum! Cernere uxores maritis, filios parentibus, & quod miſerrimum eſt, matres infantibus, & jamjam inter manus expiraturis infantibus cibum ex ipſo ore crudeliſſimè rapientes: cernere armatos militum globos, hinc inde urbem pervagantes, & in ſuſpectas ob cibum ædes furiosè irruentes; qui alimenta jam dentibus contuſa, & minuta ex ipſo gutture infelicibus revocabant, & ne altius deſcenderent, collo & faucibus manu validè preſſis, deteſtabili ſolertia prohibebant. Dignum, inquam, æternis lachrimis ſpectaculum! cernere infelices infantulos, ultimo panis bolo, per ſummū ſcelus à nefariis militibus ſpoliari, & humo allidi crudeliſſimè. O diram, ô execrabilem famem! quam bellum peperit. Sed hactenus non ſtat nefas: vincit, vincit, ꝙ ſequitur, ſupraq; oĩa crudelitatis exempla eminet longiſſimè. Mater quædam, infelix mater, infantis ſui vagitu excita, ubi ſe cum illo extabeſcere fame vidit, impar tantis malis, & calamitati ſuccumbens, pro affectu, quē pietas & natura indiderat, heu ſcelus! furorem induit, oculisque in parvulum, etiam hoſti miſerandum intentis; quid tibi, quid faciam, inquit, quid faciam, miſera mater? Sæva ecce circumſtant mala, incendia, ruinæ, latrones, & quæ ſupra omnia eſt, fames. Cui te credam moritura? an vitæ tantillum relinquam? ſed potes, ô fili, & ſic matrem paſcere, idoneæ ad cibum manus tuæ ſunt. O ſuavia mihi viſcera! ô artus perjucundi! agite prius, quàm fame in ultimam ſolvamini tabem, reddite matri, quod accepiſtis. Age ô fili, intimum naturæ ſecretum repete, unde vitales auras carpere orſus es, iſtic & tumulus paretur tibi. Complectar ipſa, quæ genui, & exoſculabor preſſius. Hęc, mei Auditores, cum illa mater (ſi modo dicenda mater) inter miſerantem, furentemque media dixiſſet, mox averſa (horreſco referens) gladium pectuſculo infantis impegit, ac in fruſta

ſectum

ſectum igne percoxit, hiantesq́; ventris latratus inde explevit. Vincor facti atrocitate, Auditores, nec verba, quibus id exaggerem ultra reperio.

III. *Peſtilentia.* Ex inopia commeatus, vitioq; alimentorum, tertium belli enaſcitur malum, peſtilentia: fami ita familiaris, & juncta, ut uno patre ambas prognatas eſſe, nemo facilè dubitet. Græcia certè nunquam dubitavit. Unde pari utramq; nomine, & leviter ſaltem diſtincto, voluit notare. Atrox & ipſa furia, & ſupra famem vi, atque celeritate incredibili. Nam velut rapidiſſimum fulgur omnia pervadit, penetrâtque; & levi momento totos exercitus, totas urbes, regiones totas immane quanta, & quàm lata ſtrage dejicit, & ſternit. Senſit malum hoc ipſa olim illa, de qua jam ſæpius, Jeroſolyma, in poſtremo ſuo & fatali caſu. Nam intra tres menſes, antequam acrius clauſa & vallata urbs ab Tito eſſet, unâ ſaltem portâ ſupra centum & quindecim millia (quos maximam partem peſtilentia abſumpſerat) elati fuerunt.

Quid peſtem Africanam memorem? quæ everſa Carthagine orta, in ſola Numidia, hominum octingenta millia delevit, in maritimâ Africâ ducenta; & apud Uticam, triginta millia militum, qui ad oræ eius præſidium erant relicti. Italia vaſtantibus eam Gothis, quæ damna, quæ funera ex peſte vidit miſera? Una Thuſcia cum fame ex bello laboraret, inde vulgatis morbis penè tota fuit exhauſta. In Piceno ex eadem cauſa quinquaginta hominum millia perierunt. Extra ſinum verò Ionicum multò plures. Damiata urbs Ægypti nobilis, bello olim ſacro Chriſtianorum, arcta & pluſquam annua premebatur à noſtris obſidione, interea hoſtes intus gravi peſtilentia affligi; & rari ex jis in mœnibus & ad præſidia conſpici. Mirati id noſtri, quippe ignari eorum, quæ in urbe gerebantur, ſcalas admovent, muros conſcendunt, urbem, eamq́; propugnatoribus vacuam, capiunt. Ex ſeptuaginta enim millibus hoſtium, ô triſtem & horribilem ſtragem!

ſtragem! tria tantùm puberum millia inventa ſunt, cæteri omnes miſerrimo mortis genere, fame, peſtilentia abſumpti jacebant inſepulti: vivis ea lege condonatum, ut mortuos efferrent, urbemque purgarent. Sed ne patriam noſtram Germaniam, in hoc cenſu prætermittam; quàm graviter illa, quàm ſæpè conflictata cum hoc malo eſt, ſub bellis Normannicis, Hungaricis, Vandalicis, Saxonicis? certè poſt Henricorum bella inteſtina, tàm atrox, tam valida in eam incubuit peſtilentia, ut tertiam hominum partem interiiſſe creditum ſit, & vix homines fuerint, qui mortuos ſepelirent.

I V. *Cædes & ſævitia hoſtium.*

Venio ad quartum, hoc eſt, ad cædes, & ſæva in victos, aut ad reſiſtendum parùm validos, hoſtium conſulta, & ſcelera pluſquàm tragica. Hîc ego Auditores, quid dicam? quid nõ dicã? quicquid mali in ſuperioribus neglectum eſt, id hîc tandẽ cumulatè redditur. Vaſtitas te patriæ, & publica ruina non involvit? fames non hauſit? peſtilentia pepercit? En jam ſuperbũ aliquem victorem, & è gregario milite unum, alterumq; ſpurcum nebulonem, qui omnibus ſævitiæ exemplis in te debacchetur, & non una ac ſimplici morte, ſed innumeris mortibus ex hac vita exturbare te cupiat! Non laqueos, non gladios, non præcipitia, & alia huiuſmodi carnificinæ infelicia inſtrumenta hîc loquor; quæ nimis blandè ſæviunt, & in celeritate beneficium habent. Illa volo, quæ ingenioſa crudelitas, aut ad intendendam acrius mortem, aut extendendam longiùs impiè ſibi excogitavit: Illa inquam, tot funeſta, tot lenta ſuppliciorum genera, quib. ſine diſcrimine in miſeros captos ſævitum omnibus temporibus crudeliſſimè fuit; dum alii palis affixi, ſed aberrante à corde ſtipite integros dies in ſummis cruciatibus hæſêre; alii igne toſti, alii canum ferarumq; laniatibus objecti, alii ſerrâ medii diſſecti, vitam miſerrimè poſuerunt. Immenſum ſit, varias immaniſſimarum cædium ſpecies & imagines hic enu-

merare! pauca ſaltem aliqua ex omni ævo exempla dabimus, quibus hominum in homines, victorum in victos ſævitia execrabilis patefiat, & diſcatur. Pœni antè omnes alios crudelitatis nomine infames ſunt: nam ab his profectæ, exoculationes, membrorum avulſiones, excoriationes, ſectiones, lentæ uſtiones, palorum trajectiones. Horum, quæ in bellis Romanis, & in Romanos non patrata immania facinora? Taceo Reguli ſupplicium; in quo excogitando ipſa ſe vicit barbara crudelitas. Illud Hasdrubalis immane ſcelus, quis non ex animo deteſtetur? quando in ipſius Scipionis obſidentis tum Carthaginem, & ultionem eminus oſtentantis, oculis & conſpectu, captivis Romanis primò lumina effodit, pòſt linguas exſecuit, inde genitalia ferro hamato per ſummum cruciatum evulſit, cutem à planta pedis abraſit, hinc excoriavit, denique ita miſerè affectos de mœnibus ſuſpendit. Quid ille alter Pœnus, Hannibal? cuius immanem crudelitatem omnes hiſtoriæ loquuntur, cuiq; virtus majori ex parte ſævitiâ conſtabat; hic pontes ex corporibus Romanis fecit; captivorum agmen, cum oneribus, & itinere feſſum moram faceret, parte pedum infimâ ſuccisâ, miſerè in via & ſanguine deſtituit, & reliquit; hic propinquos cum propinquis, fratres cum fratribus, parentes cum liberis commiſit, & ad necem ferro invicem decernere coëgit: Hic aliud quoddam agmen captivorum, navibus ſubſtravit, ut earum carinis, & pondere eliſi novo & inuſitato mortis genere barbaram hominis feritatem ſatiarent. Verùm non ſolùm Pœni ita crudeles: latè hic morbus, & ad omnes mortales pervaſit, & ubicunq; hoſtis eſt, ibi ſæviendi quoque materia judicatur idonea. Judæi gens Deo chara, quàm ſæpe in devictos ſævierunt inclementius? Græcia, illa humanitatis olim (ſic credi volebat) Schola, quæ inhumana exempla nobis dedit in Pericle, in Lyſandro; in Alexandro, in aliis? Quid Roma, in Mario? in Sylla? in Antonio? qui totas legiones ſæ-

pè,

pè, totos exercitus inſtar pecudum jugularunt; Senatum, ordinemq; Equeſtrem non ſemel cædibus immaniſſimis exhauſerunt, ſuſtulerunt. Quid aliæ gentes? nationesq; barbaræ? Moſcovitæ, Turcæ, Tartari, Mauri, quorum exercitam in bellis nefariam crudelitatem, qui percenſere velit, næ illi ſupra vires labor accreſcat. Hodie, qui mores apud nos militiæ ſunt; quæ ſcelera paſſim in victos, (quid dico victos) imò in ſocios, in amicos nō deſignātur, perpetrantur? Piget exemplorum. Chriſtiani cenſemur, ſed crudelitate ipſos barbaros vincimus. Sub prætextu Catholicæ proferēdæ Religionis graſſamur, ſed ſceleſta impietate, Satanę ipſi pomœria ſua extendimus. Chriſtū in lingua, in ore gerimus, ſed animus interim furiis infernalib. obſeſſus, cædes, rapinas, inceſtus, aliaq; infanda cogitat, perpetratq;. Dic tu ô Gallia! tu Belgium! & tu nuper Weſtphalia! quæ dira, quæ horrenda à SemiMauris iſtis latronibus, & aliis paſſę ſitis; qui titulo Catholicorum inſigniti, univerſum ſcelerum orbem veriùs, quàm pietatis animo mihi complexi videntur; qui caſtiſſimas matronas, virginesque, in ipſorum parentum, maritorumq; oculis & adſpectu, conſtuprarunt indigniſſimè; gravidas confoderunt immaniſſimè; alias, humi diſtentis manibus pedibusque, tabulato clavis affixerunt, ventrem ſecuerunt, aperuerunt, fœtum extraxerunt, in fruſta diſcerpſerunt, deniq; infelicis parentis collo alligarunt: Qui ſenes grandævos, canis & annis venerabiles, omni ſuppliciorum diritate excarnificarunt; eos genitalibus præhenſos, conſtrictosq; de trabibus ſuſpenderunt: aliis tibias, crura pertuderunt, terebraruntque, ut immiſſo in vulneris locum oleo fervido, aut plumbo liquefacto, auri argentiq; indicia à miſeris extorquerent avariſſimè. Qui tenellam deniq; ætatem utriuſque ſexus, in ferventes lebetes conjecerunt, in fruſta minuerunt, in profluentem abijecerunt, igne cremarunt.

Vos appello, Turcæ, Tartari, Ruſſi! & quicquid crudelitatis nomine inter homines notum eſt? num ſimile quid à vobis, & in veſtros factum, aut admiſſum unquam fuit? Negatis? Habetis igitur, qui immanitate barbara vos vincant; habetis, qui nomina veſtra, quibus olim gentes nationesq; conterrebatis, præ ſuis minùs hodiè fecerint formidanda. Sed me miſerum! qui de bello explicare cœpi, & jam vaſtitatem, jam famem, jam peſtem, jam ipſam quoque cædem effugeram, cùm hìc cædi demum, & cadere me ſentio infelix, fieriq́ue poſt tàm gravia mala, ad reliqua percurrenda invalidum & inutilem. Quis enim, qui hæc quatuor dixit, omnia ſeſe ſtatim dixiſſe exiſtimet, quæ in bello, & ex bello oriri conſueverunt incommoda? Ut in Oceanum aquæ confluunt: ita in bellum, quicquid eſt calamitatum. Aut enim iſta tu declinaſti? ferrum dico? peſtilentiam? famem? at ſervitutem, quæ omni peſte gravius ſæpè premit, non declinaſti tamen. Aut vitam & libertatem retinuiſti? at animam interim perdis, dum à Deo, à religione Orthodoxa averſus, impiis & ſuperſtitioſis te opinionibus faſcinari & ſeduci pateris. Aut patriam tibi hoſtis reliquit? ſed eam, quæ extinctâ verâ nobilitate, deletis bonis legibus, ſubverſa judiciorum forma, ſublatis denique honeſtis, & generi humano ſalutaribus diſciplinis in ipſa patria, patriam deſiderare te cogat meritò.

O igitur infelices! quibus malo quodam fato ſuo naſci ea potiſſimum tempeſtate contigit, quâ bellicus furor divina humanaq́ue jura omnia pervertens mortalium miſerias immenſum accumulat. O longè infeliciores! qui ita nati, ut tam diros, tam horribiles fortunæ ictus declinare non poſſint. O omnium denique infeliciſſimos! qui tanto miſeriarum agmine circumdati, mentem ſuam ad Deum non erigunt, omniq́ue rerum humanarum ſpe depoſita, ſe animamq́ue

mamque ſuam cum Deo uno atque unico, veri boni auctore non conjungunt.

Diximus breviter, quæ ex bello evenire ſoleant incommoda. Utinam verò, utinam hæc in animum nobis revocaſſe, hoc quidem noſtro ſeculo opus non ſit! Utinam cum Hebræo illo Rege non bellum, ſed pacem ſtabilem & firmam nobis polliceri, dum vivimus, poſſimus! ſed, qui ſtatus hodiè rerum eſt, vereor, & mecum ſani omnes, ut pacem in his oris diu perennantem ſimus habituri. Nunquam res Germaniæ à multis jam temporibus afflictæ magis fuerunt: nunquam animorum tanta viſa diſtractio, quam quotidiè diſſidentium in religione certamina augent & intendunt. Nec nos alii hîc lenti ſumus, ſed validè juvamus quoque, & ad incendium hoc, mox oriturum omnes ligna, ſtipulasque comportamus. Quis enim, per Deum immortalem! ſcelerum hodiè aut modus, aut finis? quem luxuriandi, ſcortandi, libidinandi, pergræcandi, aut ſatias capit, aut ſubit verecundia? quis voces in Deum maledicas, & blaſphemas publicè, privatimque abſtinet? quis faſtum temperat? ſuperbiam ponit? avaritiam linquit? & quod dolendum magis, in ſcelere & extrema turpitudine laudem adhuc quærimus, gloriam affectamus; adeò virtus apud pleroſque hodiè eviluit, ut ne ipſum quidem nomen ſibi fecerint reliquum. Quis igitur miretur, bella, cædes, vaſtitates, nobis cominus minari? Inter cauſas belli Troiani, Poëtæ etiam hanc poſuerunt (nihil vani refero, credite vel non Poëtæ) terram illi finxerunt, ad Jovem veniſſe, eique injurias ſuas longa oratione, & cum lachrimis expoſuiſſe: Portare ſe tot, tamque immania hominum monſtra, ſcortatores, mœchos, homicidas, fures, ſacrilegos, & his ſimiles, ut niſi levetur, ſub onere tam infelici pereūdum ſibi eſſe intelligat: Jovem, ad tam juſtas Terræ preces, Troiam reſpectaſſe, & in ea bellum conflaſſe, quò omnem iſtam homi-

num improbiſſimorum colluviem traxerit, & variis modis abſumptam deleverit.

Mei Auditores, hanc ipſam hodiè quoque perlatam jam ad Deum querelam eſſe, cogitate obſecro, & non terram ſolùm, quæ geſtando; ſed & ſolem, qui contuendo; ſed & cœlum, quod tegendo tam ſcelerata capita feſſum eſt, in noſtri accuſationem conſpirare. Quid igitur faciemus? Aſtra incuſabimus? & latentem fortè in ijs vim, quæ bella, diſcordiasque eliciat, aut diſponat? minimè. Terras ſpectabimus? & humanis nixi viribus, aut illatum bellum impiè propulſabimus, aut peius idem provocabimus? Neque hoc, mei Auditores. Sed ipſos nos potius incuſabimus, ipſos nos introſpiciemus, ſcelera, libidines, & quicquid bellis procreandis, concitandis eſt, ex animo deteſtabimur, ex animo eliminabimus, ſicque ad Dei opem in præſentibus malis non fictis lacrimis ſupplices confugiemus. Ecquis enim hoc non faciat? quis ſeriò petens, pœnitensq; de ipſius clementia & miſericordia deſperet? Credite mihi, imò divinis ſcripturis credite: Iratus eſt? placabitur. ſententiam tulit? mutabitur. Ita Ninive fecit, Ninive ſervata eſt. Ita nos faciamus, ſi vivere, ſi valere, ſervari cupimus. Quod ut faciamus, & ſeriò faciamus, faxis tu ô æterna pietas, tu malorum omnium averruncator fortiſſime Jeſu, faxis, faxis ô Jeſu, optime Jeſu.

D I X I.